

5, cap. 7, num. 45; Herinex disp. 4 de Sacram. Pœnit. qu. 11, num. 77; Diana par. v, tract. 12, resol. 38, ubi ex Joanne præposito, Trullench., Reginaldo et aliis cum D. Th., ut refert Viva de Jubilæo q. 6, art. 2, n. 6, docet quod lucrari potest indulgentia pro mortuis, etiam qui omnia opera injuncta posuit in statu peccati, quia ratio satisfactionis, seu pretium penarum non est illud opus positum in statu peccati, sed thesaurus meritorum Christi, et sanctorum qui applicatur ab Ecclesia, posito tali opere; illud autem opus fit nomine Ecclesie in qua nunquam deest gratia, et ita etiam prodest domino elemosyna quam mandat dari per suum servum quamvis peccatorem. Bussemb. lib. vi, part. ii, dub. 4, art. 2, num. 10; La Croix ibidem. num. 1351 et 1410; Reginald. lib. vii, num. 195, apud Gobat tract. 4 de Indulg. par. ii, cap. 23, n. 490, et sec. Bonac. de Indulg. disp. 6, qu. 1, punct. 6, propos. 1, num. 11, cum aliis pluribus, ubi ipse sic præcise dicit: Qui vero facit opus ad consequendam indulgentiam pro defuncto, non est necesse ut sit in gratia, quamvis existens in peccato mortali non possit suis operibus satisfacere per se, aut pro alio, nihilominus potest indulgentiam pro defuncto lucrari, si faciat opus præscriptum ad obtinendam indulgentiam pro defuncto, tunc enim ipse non dicitur satisfacere, sed facere opus, quo posito, summus pontifex applicat defuncto indulgentiam, id est satisfactionem Christi et sanctorum; nam indulgentia habet suum valorem ex opere operato, et non dependet a gratia illius qui pro defuncto indulgentiam lucratur. Hæc ipse. Sic etiam tenent Toletus in Summa lib. vi, cap. 26, num. 5; Gabriel sup. Canon missæ lect. 57; Portell. verb. Indulg. in addit. num. 24; Suarez, Palao et alii plures. (22. Lugo tamen tom. VI, disp. 27, num. 75 dicit esse magis commune et secundum fidelium sensum, quod requiratur status gratiæ saltem in fine operis; consentiunt Dicastill. tom. II, in m. p. tr. 9, disp. 2, dub. 17, et alii, ut testatur Toletus l. c., et hanc sententiam esse tutiorem dicit Bussemb. loc. cit. quamvis probabiliter teneat nostram.

(23. Indulgentia concessa pro vivis non potest etiam defunctis applicari, nisi in concessione exprimat, quia indulgentia sicuti pendet ab auctoritate, ita et a voluntate concedentis. Laym. lib. v, tract. 7, c. 7, num. 2; Bussemb. loc. cit. num. 7; La Croix ibid., et communis aliorum. (24. Sic etiam indulgentia concessa per papam alicui capellæ pro defunctis non extenditur ad vivos, adeo ut qui vivens celebrat aut ibi celebrari facit pro se missam illam non consequitur. Navarr. conclus. 39, part. ii, de Pœnit. et remiss. Monacell. tom. II, formul. 6, n. 1, et alii passim. (25. Indulgentia concessa per papam, ut possit quis eam lucrari pro se, vel pro defunctis, non potest applicari pro se et defunctis simul, quia tantum concessa est sub disjunctione, ut quis, vel pro se, vel pro defunctis eam lucretur, non autem ut pro se et pro defunctis. Quintanadren. dub. xii, n. 4; La Croix lib. vi, part. ii, n. 1366, et alii passim.

Indulgentiæ enim tantum valent quantum sonant.

(26. Indulgentiæ effectus potest sæpius obtineri, si sæpius opus injunctum peragatur, quando indulgentia est perpetua et absque temporis determinatione concessa, v. g. si in concessione indulgentiæ dicatur: « Quicumque visitaverit talem ecclesiam consequetur talem indulgentiam. » Herinex disp. 4, de Pœnit. qu. 11; Kazenberger. loc. cit. num. 51; Reiffenst. Theol. moral. tract. 12, dist. 3, qu. 5, num. 51, ubi testatur de communi. (27. Secus autem est dicendum, quando indulgentia est concessa pro tempore determinato, v. g. pro tali die, nisi adsit speciale privilegium. Sic Suarez, Lugo, Bonacina et alii apud Kazenb. loc. cit. num. 51, et sic indubitanter tenendum esse dicit Reiffenstuel cit. loc. n. 57 ob decretum sacræ congr. circa indulgentias editum ac per Innocentium XI die 7 Mart. 1678, approbatum et inviolabiliter servari jussum, ubi § final. declaratur: « Semel duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucriferi. » Ita sonat decretum.

(28. Uno et eodem opere nequeunt diversæ et plures indulgentiæ obtineri nisi forsitan illæ essent per modum unius, v. g. habens duas medalias diversis indulgentiis affectas, et uni sit annexa indulgentia quadraginta dierum; et alteri centum dierum obtinenda a recitantibus unum *Pater*, et *Ave*, per unam solam hujusmodi recitationem non lucrabitur utramque indulgentiam, scilicet et illam quadraginta dierum, et aliam centum dierum; sed debet duplicare talem recitationem, quia ad utramque illam indulgentiam requiritur causa propria et diversa, et consequenter reiterata seu duplicata recitatio. Ita Suarez, Præpositus, et alii communius cum Herinex disp. 4, de Pœnit. q. 11, num. 9; Kazenberger loc. cit. n. 49; Lugo l. cit. n. 90, Mastrius l. cit. num. 65; Reiff. loc. cit. num. 54. (29. Dicitur autem notanter: « Nisi forsitan illæ concessæ essent per modum unius » ut cum visitantibus certam ecclesiam conceduntur v. g. indulgentiæ omnium ecclesiarum Urbis, quia tunc, ut ipsamet formula concessionis demonstrat, unica sola visitatione possunt omnes illæ indulgentiæ obtineri. Kazenberger loc. cit. num. 49; Reiffenstuel l. c. n. 55, et communis aliorum.

(30. Sic etiam per unam solam confessionem et communionem potest quis lucrari plures indulgentias eodem die diversis ecclesiis concessas. Lugo loc. cit. num. 99. Gobat tract. 3, c. 26, num. 180; Kazenberger loc. cit. num. 49; Reiffenstuel loc. cit. n. 51, ubi testatur esse certam, et communem doctorum sententiam. (31. Imo idem dicendum est, licet secunda indulgentia non eadem die, sed sequenti, vel intra debitam distantiam occurrat dummodo perseveret in statu gratiæ. Lugo tom. VI, sect. 6, num. 93; Gobat tract. 3; Quinari cap. 26, num. 181; Comitolum q. 39; Kazenberger loc. cit. num. 49; Reiffenstuel loc. cit. num. 51; Portell. in dubiis Regular., verb. *Indulgentia* rum. 5; Graff.

part. i, decis. aur. lib. iv, cap. 11, n. 34; Bassæus vers. *Indulgentiæ* num. 2; Escobar tract. 7, Exam. 5, numer. 57; Turrian. in Select. part. ii, disp. 31, dub. 64; Diana tom. III, tract. 4, miscellan. resol. 166, et alii plures. Et ratio est quia confessio et communio non videntur exigi directe, tanquam opus injunctum per modum oneris, sed solum præsuppositivè, tanquam major dispositio subjecti ad lucrandam indulgentiam. (32. Quantum autem se extendat ly « vel intra debitam distantiam, » non omnino conveniunt doctores. Aliqui enim nedum extendunt ad duos, vel tres dies, sed etiam ad quatuor dies, dummodo intra id temporis in statu gratiæ perseveret. Portell. in dubiis Regular. verb. *Indulgentia* n. 5 post Comitolum, et Bonagrat. Habsens in Summula questionum regularium verb. *Indulgentia* n. 225, post Bassæum. Alii autem extendunt ad quinque, vel sex dies dummodo semper intra id temporis in statu gratiæ perseveret. Sic Gobat tract. 3. Quinari c. 26. n. 181 post Comitolum q. 39, qui interrogatus utrum qui primo die Augusti sacramenta confessionis et communionis suscepit, nil plane cogitans de indulgentia quæ omnibus confessis et communicatis proponebatur ad diem sextam ejusdem mensis, posset sine nova confessione et communionem lucrari illam indulgentiam, rotunde respondit *posse* eam potissimum ob causam quod ille, de quo erat sermo, vere potuerit dici esse confessus et communicatus. Sic refert et tenet Gobat loc. cit. num. 181; et Reiff. loc. cit. num. 52. Idem tenent Turrianus, Diana, Escobar apud La Croix lib. vi, par. ii, num. 1372, qui ibidem insuper subjungit quod theologi collegii Romani (uno excepto qui contradixit) interrogati ab ipsius provincia putarunt ad lucrandas indulgentias in festo circumcisionis succedere, quod quis in festo Nativitatis Christi confessus communicavit referendo etiam ad indulgentias Circumcisionis.

(33. Accedit quod quando papa concedit indulgentiam vere penitentibus et confessis, non est necessarium ad acquirendam talem indulgentiam facere confessionem die, vel tempore quo indulgentia est lucrificanda, sed satis est quod post ultimam confessionem perseveret in gratia usque ad talem diem, vel tempus indulgentiæ lucrificandæ. Sic Navarr. in Comm. de Jubil. et indul. notabil. 18, n. 18; Kazenberger loc. cit. num. 29; Leo Thesaur. for. Eccles. part. i, c. 7, de Indulg. num. 27; Bonacina tit. de Indulg. disp. 6, q. 1, punct. 5, proposit. 2, n. 7, ubi citat Navarr. Filiuc, Henriquez, Suarez, Reginald., et alios. Viva de Jubilæo q. 8, art. 3, n. 2, cum multis ibi citatis; Gobat tract. 3; Quinari c. 28, n. 167; Monacell. tom. II, formul. 6, num. 3 et 4; Reiffenstuel l. cit. num. 50; Graffius part. i, decis. aur. lib. iv, c. 15, num. 34, et alii passim. Et ratio est, quia non exigitur confessio tanquam opus injunctum per modum oneris, sed solum requiritur ex parte subjecti tanquam dispositio ad lucrandam indulgentiam; Unde, qui post ultimam confessionem perseverat in statu

gratiæ consequitur effectum indulgentiæ, implet enim formam indulgentiæ, cum sit vere poenitens, et rite confessus. Unde illud participium *confessis* exponendum est hoc pacto, id est, qui sunt vel fuerunt confessi, ut recte Graffius loc. cit., et alii. (34. Imo nedum non requiritur confessio peccatorum mortalium alias rite confessorum, sed neque confessio venialium, nisi in concessione indulgentiæ expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus. Navarr. loc. cit. notabil. 30, num. 6; Graffius in Appendice decision. aur. lib. ii de Indulg. cap. 5, num. 9; Kazenberger loc. cit. num. 29; Bonacina, et omnes supra citati. Henric disp. 4 de Pœnit. n. 80; Suarez disp. 52, sect. 3, num. 5, et alii passim. Et ratio est, quia, quando in Bulla exprimitur confessio, sermo est de confessione respectu illius qui conscientiam habet peccati mortalis obnoxiam, nisi aliud exprimat; confessio enim simpliciter dicta ex communi usu et sensu Ecclesie censetur confessio mortalium; arg. cap. *Omnis utriusque sexus de pœnit. et remiss.*, et ob id Ecclesia, sicut non solet præcipere confessionem venialium, ita neque consuevit confessionem venialium requirere ad consequendam indulgentiam, ut recte Bonacina loc. cit.; Monacell. loc. cit.; Kazenberger l. c., et alii. Nunc autem servanda est dispositio decreti supra relati art. 2, num. 46.

(35. Est autem necessaria confessio actualis, et non sufficit contritio ad lucrandam indulgentiam, quando in Bulla concedente indulgentiam requiritur confessio, et lucraturus indulgentiam habet peccatum mortale. Sic communior, probabilior, et tutior theologorum sententia cum Kazenberger. loc. cit. num. 29; Reiffenstuel. loc. cit. num. 49. Et ratio est, quia tunc confessio actualis censetur esse conditio necessario requisita ad indulgentiæ consecutionem. Indulgentiæ enim tantum valent quantum sonant, et explicandæ et acquirendæ sunt sicut in Bullis exprimitur. Et hoc verum est, etiamsi in Bulla dicatur quod conceditur indulgentia *contritis et confessis*, quia particula *et* non est disjunctiva, sed conjunctiva et copulativa; dispositio autem copulata utriusque partis veritatem exigit. (36. Quando vero in concessione indulgentiæ non expresse præscribitur confessio, sufficit ut lucraturus indulgentiam existat in gratia sanctificante per contritionem perfectam, quia existens in gratia sanctificante per contritionem est capax indulgentiarum, nec in concessione ipsarum requiritur actualis confessio, ut supponitur, adeoque in tali casu non est necessaria actualis confessio. Sic Navarrus, Suarez, Reginaldus, Bonacina, Faber, et alii cum Kazenberger loc. cit. num. 29 et communis aliorum cum Mastrio Theolog. moral. disp. 23 q. 4, n. 63. Reiffenstuel. loc. cit. n. 48.

(37. Tempus lucrandi indulgentias in festis extra Quadragesimam (nisi aliud in Bulla concessionis caveatur) communiter nunc incipit a primis vespers usque ad occasum solis sequentis diei. *Communis* cum Gobat tract. 4, p. ii, de Indulg. c. 6. Quintanad-

venas in Appendice ad sua singularia tract. 4, dub. 3 et 4; Kazenberger l. c. n. 57. (38. Per primas vespas intelligitur illud tempus quo, ex probato usu, solent aut possunt in illo loco, ubi est indulgentia, recitari vespere, incipiendo non solum ab illa hora in qua vespere in choro inchoantur, sed ab ea etiam qua ad vespas campana pulsantur, aut pulsari solent, etsi in loco in quo est indulgentia vespere non canantur, habenda est ratio vel moris diocesani, vel vicini oppidi, vel generalis consuetudinis. Quintanadvenas cum Gobat loc. cit. sub num. 657. (39. In Quadragesima autem tempus lucrandi indulgentiam pro sequenti festo die concessam incipit media decima hora antemeridiana diei præcedentis, cum eo tempore in Quadragesima vespere dici possint, et soleant. Gobat, Quintanadvenas, et Kazenberg, locis citatis. (40. In feriis autem, et non festis diebus, tam in Quadragesima quam extra Quadragesimam tempus lucrandi indulgentias incipit a nocte intempesta usque ad alteram noctem intempesta, id est a media nocte antecedente usque ad mediam noctem sequentem, et sic illius mensura est dies naturalis; arg. l. More Romano, ff. de Feriis, l. Consuluit, de Offic. delegat; Gobat loc. cit. n. 656 vers. *Rursum quæras*; Kazenberger loc. cit. num. 57. (41. Per solis occasum intelligitur illud tempus quo sol jam plane sub horizontem est abditus et plane totus occubuit. Gobat, loc. cit. num. 655; Quintanadvenas, loc. cit.; Kazenberger, loc. cit.

(42. Quando in Brevi indulgentiarum ponitur hæc clausula: « Præsentibus septennium tantum valituris, » hoc septennium incipit currere a die datæ Brevis Romæ. Sic expresse declaravit sacra congr. indulgentiis et reliquiis præposita die 18 Maii 1711, et approbavit Sanctissimus die 20 ejusdem mensis et anni, ut apparet in sequenti decreto: « Discusso dubio in sacra congregatione indulgentiis et S. reliquiis præposita: An attentis verbis quæ in Brevibus indulgentiarum apponi solent: *Præsentibus ad septennium tantum valituris*, septennii initium a die publicationis brevis desumendum sit; ead. sac. congreg. die 18 Maii 1711 declaravit non a die publicationis, sed a die datæ Brevis septennii tempus incipere. Et, facta relatione Sanctissimo domino nostro per me infra scriptum secretarium die ejusdem mensis, Sanctitas Sua congreg. sententiam approbavit.

« I. M. CARDIN. GABRIELLUS PRÆFECTUS.

« Raphael Cosmus de Hieronymis, secret. »

(43. Quando in Brevi ponitur clausula « Præsentibus ad septem annos proximos, seu ad septennium proximum valituris, » debet inter ipsos annos computari et numerari etiam annus Jubilæi, si intra id temporis occurrat. Gobat, de Jubilæo num. 56 et de Indulgent. num. 663; Bellegambe, p. II, sect. 4, q. 6; La Croix, lib. VI, p. II, n. 1378; Kazenberger, loc. cit. num. 60. Si autem dicatur simpliciter *ad septennium* seu *ad se-*

ptem annos Gobat, loc. cit., Viva, q. 4, art. 5 apud La Croix et Kazenberg, loc. cit. contra Pasqualigum putant durare ad septem annos utiles.

(44. Clausula in Brevi solita apponi: « Dummodo in ecclesia tot missæ quotidie celebrentur, » debet intelligi juxta declarationem datam de mandato Sanctissimi a sacra cong. Concilii, in qua die 30 Julii 1701 propositis sequentibus tribus dubiis responsum fuit, ut infra.

I. « An absentibus religiosis ex causa prædicationis tempore Quadragesimæ et Adventus, vel, quando occasione festivitatum, vel funerum aut similium a superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur indulgentiæ concessæ in certo numero missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent. Vel pro eo tempore quo dictus numerus missarum non fuerit adimpletus, sint suspensæ; vel potius remaneant in suo robore? » Quoad primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimæ remanere suspensæ; non autem in reliquis, dummodo raro contingat.

II. « An idem sit statuendum deficiente præfixo numero missarum ob infirmitatem sacerdotum tam regul. quam sæcularium? » Non remanere suspensæ.

III. « An pariter idem sit statuendum deficiente dict. numero missarum ob absentiam ab ecclesiis sæcularibus canonicorum, ac sacerdotum per aliquot dies et menses? » Satis provisum in primo.

(45. Cum quibus resolutionibus processit congreg. Concil. Trident. in Isclana 23 Septembris 1713, quando renuente episcopo Isclano exsequi Breve concessum ecclesiæ B. Mariæ Lauretanæ terræ Forigi ejusdem diocesis, eo quia in illo aderat clausula: « Dummodo in dicta ecclesia 14 Missæ quotidie celebrentur. » Ipse autem episcopus facta diligenti computatione omnium missarum invenerat illas fixæ, et ex obligatione quolibet anno celebrandas in eadem ecclesia esse solum 3491, et sic longe minus quam 14 qualibet die. Licet computando alias quæ ex magna devotione confluentium ad eandem ecclesiam in illa celebrabantur, missæ prædictæ ex obligatione unitæ cum adventitiis longe superabant numerum 14 quotidianarum, ut ipsemet episcopus in ejus relatione testabatur, asserens sibi difficultatem facere possibile decrementum, et diminutionem ejusdem numeri missarum adventitiarum pro uno, vel altero brevi tempore, nihilominus habito recursum ad dictam congregat. Indulgent. per administratores dictæ ecclesiæ primo dubio: *An episcopo Isclano relati Brevis publicatio injungenda sit?* Responsum fuit: *Affirmative.*

(46. Clausula: « Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus dict. Ecclesiam visitantibus aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsam duratura concessa fuerit, præsentibus litteræ nullæ sint; » debet intelligi juxta declarationem sacre congregationis Indulgent. et S. reliquiis præpositæ a Sanctissimo approbatam. Vid. verb.

Altare privilegiatum num. 7, ubi affertur integra ipsa declaratio.

(47. Missæ celebratæ de festo currente in altaribus privilegiatis in diebus quibus non licet missas de *Requiem* celebrare habent eandem vim et easdem indulgentias, perinde ac si essent celebratæ missæ de *Requiem*, seu defunctorum. Sic expresse statuerunt tres summi pontifices, scilicet Alexander VII, die 22 Jan. 1667, Const. incipien. *Credita*; Clemens IX die 23 Septembris 1669 Const. incip. *Cum felicis*; Innocent. XI die 24 Maii 1688; Const. incip. *Alias*, et novissime sacra congregat. Rituum in *Urbis et Orbis*, 15 Septemb. 1714, specialiter approbante Clemente XI die 29 ejusdem mensis. Vid. verb. *Missæ*, art. 13, num. 10, 11, 12 et 13 ubi afferuntur tales Constitutiones et resolutiones ad litteram.

(48. Translato festo in cuius die conceditur indulgentia, non transfertur etiam ipsa indulgentia, nisi ex concessione speciali. Sac. cong. Rit. 30 Novembris 1679 et 10 Junii 1690. Sic in Rubr. breviarii Fratrum Minorum tit. 10, et apud La Croix, lib. VI, part. II, decr. 298.

(49. Indulgentia tandiu durat quandiu vult is qui eam concessit; quia, sicuti ab ejus voluntate pendet in fieri, ita et in conservari. *Communis*, arg. cap. *Omnis* 1, de Regulis juris, ibi: « Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » (50. Indulgentia simpliciter et absolute concessa, seu sine appositione determinati temporis, durat perpetuo per se loquendo; nam, cum superior concedens eam non limitaverit, nec nos limitare debemus. Herinex, disp. 4 de Pœnitentiis q. 12, num. 87; Kazenberger, loc. cit. num. 53, et ipso teste, communissima aliorum, arg. c. *Quia circa* 22, de privilegiis.

(51. Nec perit indulgentia per mortem concedentis, nisi in ipsamet concessione ponatur explicite vel implicite iste terminus. Kazenberger, loc. cit. num. 53; Gobat, tract. 4 de Indulg., par. II, cap. 36, num. 646; Suarez, disp. 57, sect. 2, num. 2, et ipso teste, certa et communis aliorum; arg. cap. *Decet* 16 de Regul. Juris num. 6, ibi: *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.*

(52. Indulgentia concessa usque ad beneplacitum concedentis non est perpetua, sed, si non fuerit prius revocata, perit morte ipsius concedentis. Gobat, loc. cit. num. 643; Kazenberger, loc. cit. num. 55; Filliuccius, tract. 8, num. 235, et alii; nam beneplacitum extinguitur extincto privilegiato; arg. c. *Si gratiose* 5 de Rescriptis, ibi: « Hujusmodi gratia per ejus obitum (per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur) eo ipso expirat. » (53. Indulgentia autem concessa ad beneplacitum Sedis apostolicæ, aut interum dum Sedes apostolica voluerit, non expirat morte papæ concedentis, sed durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata, quia Sedes ipsa non moritur. Kazenberger, loc. cit.; Gobat, loc. cit.; Filliuccius, loc. cit., et communis aliorum, arg. cit. cap. *Si gra-*

tiose, ibi: « Secus autem si usque ad apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta. » (54. Indulgentia non cessat, quamvis cesset causa propter quam concessa fuit. Constat enim ob causam temporalem sæpe concedi indulgentiam perpetuam; si enim v. g. indulgentia perpetua sit concessa propter fabricam templi, vel propter conversionem ad fidem alicujus provincie, non cessat talis perpetua indulgentia, quamvis templum sit jam absolutum, vel provincia sit jam conversa. *Communis* cum Gobat, loc. cit., num. 645; Suarez, disp. 57, sect. 7, num. ultim.; Kazenberger, loc. cit. num. 56; Mastro, Theolog. moral., disp. 23, quæst. 3, num. 50.

Quoad dicta supra, num. 33 ad 36, attendenda et observanda est novissima sanctio et declaratio Benedicti XIV adducta infra in Supplementis ad verb. *Jubilæum*, art. 1, n. 50 et seqq.

ARTICULUS IV.

Indulgentia quoad ea quæ concernunt indulgentias revocatas et apocryphas, aliasque non tales, de stationibus Urbis, ac variis declarationibus.

(1. Omnis Indulgentia potest revocari a suo concedente, vel ejus successore, aut superiore, antequam suum sortiatum effectum. *Communis*, arg. cap. *Omnis res* 1 de Regulis juris, ibi: « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » Dicitur autem *antequam suum sortiatum effectum*, quia, si indulgentia sit jam effectum consecuta, non potest amplius revocari quoad illum effectum; nam remissio pœnæ semel facta non potest retractari, et divina clementia, dimissa, in ultionem ulterius redire non patitur, ut inquit Gelasius papa relatus in cap. final. de Pœnitent., dist. 4.

(2. Ad hoc, ut indulgentia censeatur pro omnibus revocata, necessarium est ut sufficienter ejus revocatio promulgetur: quamvis enim revocatio indulgentiæ sit facta publice, et affixa Romæ bulla revocatoria illius, non tamen statim incipit ubique desinere ejus valor. Navarrus de Jubilæo notabil. 31, num. 28; Gobat, tract. 4 de Indulg. p. II, cap. 37, n. 666; Kazenberger, loc. cit., n. 63 et 64, et alii communiter; arg. cit. leg. *Si procuratorem*, ff. de Procuratoribus. Sed tandiu singulis in provinciis durat, donec communi et morali modo ad eas potuerit pervenire revocatio, quia alioquin orientur maxima incommoda, et infinitæ propemodum deceptiones. Sic recte Suarez, tom. IV, in III, p., disp. 57, sect. 1, n. 9; Filliuccius, tract. 8, num. 341; Gobat, loc. citat.; Kazenberger, loc. citat. et alii passim.

(3. Quando revocantur indulgentiæ alicujus Ecclesiæ, aut Ordinis, non censentur revocatæ indulgentiæ alteri loco, aut Ordini instar earum concessæ. Ita Navarrus de Jubilæo notabil. 26, n. 8; Gobat, loc. cit., n. 675; Kazenberger, loc. cit., n. 65. Et ratio est, quia etsi ejusmodi indulgentiæ a prioribus pependerit quoad productionem, non tamen vendent quoad conservationem: